UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Dei Præsentia

Le Gaudier, Antoine

Coloniæ Agrippinæ, 1622

Cap. XXI. Quomodo Deum in cæteris creaturis considerare & complecti possimus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-50583

Visual Library

re poſſumus: Sic ſancti viri & præterita intueri, & futura proſpicere non ſecus ac præſentia in Deo ſolent. Verùm de hoc etiam poſtea; vbi hanc praxim ad actionum ſingularum vſum accommodabimus: Hoc enim loco eam ſolùm in genere tractamus.

Capvt XXI.

Quomodo Deum in cæteris creaturis conſiderare & complecti poſſimus.

IAm verò eadem Dei præſentia amabiliſſima in cæteris etiam creaturis ſiue irrationalibus, ſiue etiam ſenſu aliquo præditis,

ſiue demum omni vita ac ſenſu deſtitutis, cùm intima ſit, non poteſt non incurrere ad ſingula pene momenta in oculos ipſos & ſenſus noſtros, ſi modò ſint exercitati ad intelligendum, & non abiecti tantùm ad ſenſibilibus iſtis rebus fruendum. Optimus enim Dominus cùm non tantùm intelligendi & volendi facultate, ſed alijs etiam potentijs inferioribus, à quibus ipſa intelligendi & volendi vis dependet, hominem inſtruxiſſet, ita ſeſe per diuerſa bona ab illis ipſis potentijs pro cuiuſque natura apprehendenda, diffudit, & quodammodo diſpertijt; vt nullum ſit obiectum vllius ſen-

ſus, quod Deum præſentem non contineat, ac proinde illum in ipſum hominẽ noua quadã ratione inuehat. Nec enim tantùm in omnibus & ſingulis etiã minutiſſimis & viliſſimis præſens exiſtit, ſed cum intellectu & voluntate agat, ita præſens in illis eſt, vt ex infinito ſui amore eas conſeruet ſua potentia, & ſapientia immenſa, atque adeo ſeſe in illis glorificet: ita vt ſuas perfectiones in illis diffuſas ſibi ipſi aliquo modo reddat. Eſt enim Deus benedictus & glorioſus non in ſe tantùm, ſed etiam extra ſe. Quare cùm creaturas omnes inuito, vt Deum benedicant & laudent, venire imprimis

mihi in mentem debet æterna illa benedictio, & laus quam Deus ſibi ipſi ex illis reddit. Deinde quod ex eodem amore mihi exhibet ſeipſum, ſuaſq; perfectiones in creaturis illis, vt in quibuſdam ſpeculis mirabiliter relucentes, iucundiſſimè contemplandas, vt ego pariter ex eodem amore eaſdem perfectiones ipſi reddam, & in creaturis illum laudem & benedicã. Præterea quod cùm earundem mihi vſum concedit ſiue ad victum, ſiue ad veſtitum, animiq́ue relaxationem etiam nouo quodã modo ſeſe mihi communicat incredibili erga me totius amoris ſui propenſione. Denique

quod cùm in ijſdem operantibus operatur & laborat; illos labores operationeſque ſponte, & tota voluntatis ſuæ inclinatione, in bonum meũ dirigit. Itaque cùm cœlum, ſolem, lunam, ſtellas contemplor, cùm terram, arbores, herbas, flores, gemmas, & cætera id genus intueor, cùm me radijs perfundit ſol, cùm cibus reficit, cùm tegit veſtis, ſi illuminatos fide oculos & ſenſus habeam, non tam creaturas ipſas quæ ex ſe nihil ſunt, quàm immenſas Dei perfectiones ex indicibili amore mihi varijs modis adeo naturæ meæ conſentaneis, communicatas, apprehendere debeo: vt non tantùm cor-

pus creaturis, ſed præcipuè anima Deo præſente ſatietur & expleatur, Deum laudet, benedicat, glorificet, tantam eius gloriam extra effuſam in eum reducat, & ſeſe pariter cum omnibus creaturis eidem reddat ijs bene vtendo, vel contemnendo pro eius gloria & tantæ bonitatis æſtimatione.

Hæc ergo Dei præſentia in creaturis etiam inſenſibilibus, ad vnionem noſtri cum Deo per amorem efficiēdam, vt ad ſuam vltimam formam fertur. Nec verò minus, imo magis amabilis eſt tanta bonitas, cùm vel in viliſſimis creaturis ſeſe præſentem exhibet, vel per creaturas quaſ-

dam iuſtè nos exercet & punit in hac vita.

Atque hoc modo vſi ſunt ſæpiſſimè viri ſancti pro exercitio præſentiæ diuinæ, cùm maxima & ſpiritus ſuauitate & fructu ſpirituali, cõmendatque illum B. P. N. in exercitio de amore ſpirituali.

Capvt XXII.

Quomodo in Deo præſente remotiſſima quæque, & tam præterita quàm futura nobis quaſi præſentia efficiuntur.

ADMIRABILIS quoque hæc Dei immenſitas, non tãtùm diſſita quę-